



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119185

§. 98. Poloni rebelles a Nuntio Apostolico ad obsequium revocati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

Sæc. XVII.
A. C. 1662.

§. XCVIII.

*Poloni rebelles a Nuntio Apostolico
ad obsequium revocati.*

Postquam Cosachi in Regis obsequium *Priorat. l. c.*
redierant, bellique induciæ cum
Moscovitis pene erant confectæ, Casi-
mirus Rex exteri hostis metu solutus,
intestina Regni dissidia componere in-
tentus erat, indictis Varsoviæ comitiis.
Interea vero tam in Polonia, quam
in Lithuania milites seditionem con-
flarunt, excussoque Belliducum suo-
rum imperio e suis Directorem elege-
runt. Attamen in duas erant divisi fa-
ctiones, quarum una de militari stipen-
dio hucusque denegato quæstæ, Eccle-
siasticorum bonis inhiabat, altera per-
versam ærarii administrationem immu-
tari petens, ne Rege suo adhuc vita
superstite de Successoris electione age-
retur, postulabat. Porro tam hi quam
illi ad tantam devenere temeritatem,
ut Regis proventus, & Ecclesiastico-
rum bona sequestri nomine sibi vendi-
carent: Ut ergo tanto malo tempestive
remedium opponeretur, Rex particu-
larem conventum ad diem vigesimam
Februarii convocavit, ut in eo quære-
retur modus, quo rebellis exercitus
ad officium obsequiumque revocaretur,

ad

Sæc. XVII. ac præterita stipendia militibus nume-
A. C. 1662. rari possent: Ablegabatur exercitus suos

Deputatos, qui ex militari sanguinis
sui pretio Ministros ditari dolentes, in
quos usus tributa a triginta retro annis
exacta, fuerint impensa, discuti, Re-
giæ electionis Promotores castigari,
atque integrum æs militare persolvi,
necnon Cancellarium exauctoratum
plecti, præter plura alia coram publico
Senatu postulabant. Postea ambo
exercitus ad Archiepiscopum Larissanum
Pignatellium Papæ Nuntium
duos decernebant Oratores, qui pro-
ventuum Ecclesiasticorum spolia extre-
mæ necessitatis obtentu excusarent:
His Nuntius gravibus oppido verbis
ejusmodi facinus Nobili & Catholico
milite indignum, populi Christiani of-
fensionem inde orituram, & Pontifi-
cis Ecclesiarum indemnitate vindica-
turi indignationem ob oculos posuit,
simulque ex summi Pontificis mandato
ipsum ad comitia processit, ibidemque
tam gravi rationum pondere peroravit,
ut potior stipendiorum pars militibus
numeraretur, simulque sua Ecclesia-
sticis redderentur bona: Compositis
demum ceteris difficultatibus Rex mi-
lites suos eo adegit, ut eidem sese novo
sacramento obstringerent, & cum Du-
ctoribus suis in hostem progredierentur;
adhuc

adhuc enim bellum fervebat contra Sæc. XVII.
Moschos, qui tamen a Polonis, & A. C. 1662.
Cosaccis cæsi pacem, quam hi vellent, _____
postmodum inire coacti sunt.

§. XCIX.

Turcæ a Venetis male mulctati.

Sub idem tempus Alexander VII. Pa- *Nani Hist.*
pa, qui ad Ecclesiæ defensionem *Venet. l. 9.*
Principes Catholicos unire, in primis
curis habebat, datis ad Pignatelum
Nuntium suum literis, eidem injunxit,
ut a Poloniæ Rege & Senatu suppetias
adversus Turcas Hungariam & Cre-
tam infestantes, impetraret: Ast Po-
loni propriarum virium imbecillitatem,
exhaustumque gravibus bellis ærarium
obtendebant: Ejusdem tamen Pontifi-
cis opera hoc anno nuper Venetos in-
ter & Melitenses exorta dissidia fuere
composita, ea lege, ut Melitensibus
Turcæ anno priori capti unacum præ-
da restituerentur. Itaque Veneti de-
nuo suis fœderatis juncti, Turcarum
classem strenue insectabantur; cum au-
tem Turcas ad prælium elicere haud
possent, Morosinus Asiæ oram infestare
constituit, incensisque quibusdam op-
pidis Giovatam contendit, ut classem
divitiis refertissimam, quæ Turcas Me-
cham peregrinantes comitabatur, in-
Hist. Eccles. Tom. LXII. Yy ter-